



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Hic conqueritur homo quod non compungitur in contemplatione, ex quo  
Angeli quoque tremunt Deum videntes, 34

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

Qui cum non essemus, potenter fecisti nos  
& cum perditii fuissetus culpa nostra, pietate  
& bonitate tua mirabiliter recuperasti nos;  
Ne finas nos esse ingratos, obsecro, tantis  
beneficiis, & indignos tam multis misera-  
tionibus: te deprecor, supplico & rogo, auge  
fidem, auge spem, auge charitatem.

8. Fac nos per ipsam gratiam tuam sem-  
per in fide stabiles, & in opere efficaces: ut  
per fidem rectam & condigna fidei opera, ad  
vitam te miserante perveniamus æternam:  
ut ibi videntes gloriam tuam sicuti est, ado-  
remus Majestatem tuam, & dicamus pariter,  
quos dignos feceris videre gloriam tuam:  
Gloria Patri, qui creavit nos: Gloria Filio,  
qui redemit nos: Gloria Spiritui sancto, qui  
sanctificavit nos: Gloria summæ & indivi-  
duæ Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt,  
cujus imperium sine fine manet. Te decet  
laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis  
honor, tibi benedictio & claritas, tibi gra-  
tiarum actio, tibi honor, virtus & fortitudo,  
Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

## C A P V T X X X I V.

*Hic conqueritur homo, quod non compungitur in  
contemplatione, ex quo Angeli quoque  
tremunt Deum videntes.*

1. **I**gnosce Domine, ignosce pie, ignosce  
& miserere; parce & ignorantia mea,  
& multæ imperfectioni mea. Noli me tan-  
quam temerarium reprobare, quod audeam  
servus, utinam vel bonus, & non etiam in-  
utilis & malus: & ideo valde malus, quia te  
omni-

omnipotentem Deum nostrum terribilem & nimis metuendum, sine cordis contritione & lachrymarum fonte, sine reverentia debita & tremore, laudo, benedico, atque adoro. Si enim Angeli te adorantes & laudantes tremunt, mira exultatione repleti: ego peccator, dum tibi assisto, laudes dico, sacrificium offero; cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco; sicque obortis lachrymis, coram te indefinenter lugeo? Volo, sed non valeo, quia nequeo quod desidero. Hinc enim mecum vehementer admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno: Sed quis hoc, sine ope gratiæ tuæ? Univerſa enim ſalus noſtra, magna miſericordia tua.

2. Miſerum me, quomodo ſic inſenſata facta eſt anima mea: ut non terreatur terrore nimio, dum ſtat ante Deum, & ſuas illi laudes decantat? Miſerum me, quomodo ſic induruit cor meum; ut oculi mei indefinenter non producant flumina lachrymarum, dum conſervus ſermocinatur coram Domino ſuo, homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus eſt ex limo, cum eo qui omnia fecit ex nihilo? Ecce Domine, pone me ante te, & quid in ſecretis de me ſentio, fraternis auribus non taceo. Tu dives in miſericordia, & largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, ut ex eis ſerviam tibi. Non enim aliunde poſſumus ſervire, neque tibi placere, niſi de tuo munere.

3. Conſige, quaſo, timore tuo carnes, latetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Vti-

Vtinam sic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus, qui dixit: Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Dator enim bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lachrymarum, simul cum cordis puritate, & mentis jubilatione, ut perfecte te diligens & digne te laudans, ipso cordis palato sentiam, gustem & sapiam, quam dulcis & suavis es, Domine, sicut scriptum est: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo: beatus populus, qui scit jubilationem: beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

## CAPVT XXXV.

*Oratio multum movens ad devotionem & divinum amorem.*

I. **I**esu nostra redemptio, amor & desiderium, Deus de Deo; adesto mihi famulo tuo. Te invoco, ad te clamo clamore magno, in toto corde meo. Te invoco in animam meam: intra in eam, & coapta eam tibi, ut possideas eam sine ruga, & sine macula. Mundissimo namque Domino, munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum, quod fecisti; de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva; ita ut dignum habitationis tuæ efficiar templum hic & in